



Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cbris Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 3. Deum suos pascere, Scripturæ exemplis docetur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

Dei prouidentia & bonitate sentiunt, quod oportet, haudquaquam ambigunt, vitam sustentationēmque suam multò magis curari à Deo, quām à seip̄s̄.

§. III.

Deum suos pascere scriptura exemplis docetur.

Quod sanè SS. PP. luculentè docuerunt.

S. August
de orat.
Domi-
nic.
Prou. 10.
Psal. 36.
Luc. 12.

4. Reg. 4.
38.

Non potest, inquit S. Augustinus, quotidianus cibus aesse justo, cum scriptum sit: Non occidit Dominus fame animam justi. Et iterum: Inniōr fui, etenim senui, & non vidi justum dēlictum, nec semen eius querens panem: Et iterū: querentibus regnum Dei, & justitiam eius omnia promittit apponi, & cum sint Dei omnia, habenti Deum, nihil deerit, si D E V S ipse non desit. Sic Danieli in leonum lacu, jussu regis, inclusō, prandium diuinitus procuratur, & intereras esurientes homo Dei pascitur. Sic alitur Elias in fuga, coruis ministrantibus & volucribus cibum apportantibus, in persecutōne nutritur. Eliseus quoque, tempore famis, nōnne filijs Prophetarum & pulmentum dedit, & amaritudinem magnam in magnam dulcedinem conuertit? Neq; pulmentum tantum, sed & panes. Vir autem quidam venit de Baalsalisa deferens viro Dei panes primiti- rum,

rum, viginti panes hordeaceos, frumentum no-
 num in pera sua. At ille dixit: Da populo, ut co-
 medat. Responditq; ei minister eius: Quantum
est hoc; ut apponam centum viris? Rursum ille
 ait: Da populo, ut comedat: hæc enim dicit Do-
 minus: Comedent, & supererit. Posuit itaq; co-
 ram eis: qui comedunt, & superfuerint, juxta
 verbum Domini. Imago hæc & adumbratio Ioā. 6. 11.
 fuit Christi, ad eundem modum, quinque,
 panibus hordeaceis quinque virorum mil-
 lia, in deserto, pasturi; & pasturi ita, ut duo-
 decim cophini superessent, & tantò plus re-
 staret, quantò plus ademisset. Elisæo in pera 4. Reg. 4.
allatum est frumentum; Christus discipulos 42.
 suos, sine sacculo & pera misit, & nihil illis Luc. 22.
 defuit. Quare etiam de imitatore Christi &
 Apostolorum ait D. Ambrosius: Fide tutus
putet sibi, quò minus ea requirat, eo magis panē
suppetere. Curat enim Deus magis, qui Deum
 curant magis; & pullatis vestibus album,
 panem p̄nsit, ut in proverbio est. Quanquā
 enim Dei seruis carnis curam non habenti-
 bus, sed jejunio atque abstinentiæ deditis
 facilius satisfiat; cum pomo, nucibus pal-
 marum, pistaceisue satiantur, aut cum ex
 jure hesterno panem atrum edunt: tamen
 diuina manus, cum nec ista suppetunt, mi-
 rifice

rificè eis succurrit. Proderit, benignum,
hunc Dei morem in exemplis docere.

§. IV.

Farina D. Benedicto diuinitus missa.

Agmen ducat antiquissimus & sanctissimus
S. Greg.
I. 2. dial.
c. 3²o
Benedictus, de quo D. Gregorius ita scribit:
*Alio quoq₃ tempore, in eadem Campaniæ regio-
ne, fames incubuerat, magnāq₃ omnes alimen-
torum indigentia coangustabat. Iamq₃, in Be-
nedicti monasterio, triticum deerat: panes verò
penè omnes consumti fuerant, ut non plus, quām
quinq₃, ad refectionis horam, fratribus inneniri
potuissent. Cūmq₃ eos venerabilis pater contri-
statos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit
modesta increpatione corrigere, & rursum pro-
missione sublenare, dicens: Quare de panis inopia
vester animus contristatur? Hodie quidem mi-
nus est: sed die crastina abundanter habebitis.
Sequenti autem die ducenti farinæ modij ante
fores cellæ in saccis innenti sunt, quos omnipotēs
Deus, quibus deferentibus, transmisisset, nunc
vsg₃ manet incognitum. Quod cum fratres cer-
nerent, Domino gratias referentes, didicerunt
iam de abundantia nec in egestate dubitare. Hæc
D. Gregorius, qui infra aliud his verbis sub-
jungit.*

§. V.